QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. IANVARII,

M. PETRO LEGIER, Doctore Medico moderatore.

807.

An Calidum innatum ἀεικίνητον?

CORPORIS moles terreno principiorum genere confecta iaceret, nisi agitaretur innati caloris vi, sine quâ neque ali potest, neque crescere. Hæc ipsa in rudi materiâ foetus maturè elucet, promouet etiam ἐγκατασπορὰν particularum, & postmodum fouet compagem, ne illa caloris & frigoris impulsione vehementi labefactetur, aut frangatur, ne ad senectutem compellatur, vt is calor sit seruator qui fuit genitor. Non est tamen origine cęlestis influens in corpora: cum primùm subesse vim homini sentimus quæ medetur morbis, deploratis plerumque reuocatis ad vitam, siue illa nullo docente expediendæ salutis vias sibi inueniat, siue princeps sit ad functionũ genus omne, non est statim diuinis adiungenda causis.

PERENNIS est corporum ad vitæ exitum mutatio, nec omnis culpanda. Quæ obeundis naturalibus actionibus aptior est à vegeto, quæ deterior ab imbecilli calore pendet. Quo quisque die nascitur is calidissimus, quo momento extinguitur frigidissimus esse solet. Ita factum est vt alia ætas oriatur ex aliâ, prout calor annorum decursu vniusmodi gradus rationem minimè seruat: In omnibus vnà cum corpore in singula tempora vel celeriùs, vel remissiùs, vel oscitantiùs multò, vitalis flamma contrahitur & explicatur, nedum illa constantis ætatis aliquo spatio quiescit.

AT neque calor innatus, qui est primum animæ instrumentum, immortalitem largiri, quamuis sit nonnullis ἀθάνατος, neque animi nomine appellari, licet in sinistro cordis sinu quasi mens quædam delitescat, neque vitam ipsam tueri potest absque fomite. Itaque humor primigenius spiritu & calore perfusus, non aqueus, non fluxilis, sed aëreus & pinguis illi pabulum suppeditat. Quibus vberius & compactius humidum radicale concessum est, ijs valentior calor & mobilior: nec ab alio definitum viuendi tempus existit, nec aliunde vitæ diuturnitas repetenda est. Qui crescunt calidi innati plurimùm continent: illud quoque æstate, quam hieme parcius est & lucidius.

PRÆCIPVA caloris agitatio fit in arce vitæ: præterea viuifici nectaris ab eodem foco plenior copia quoquouersùm diffunditur; vnde palam est generosum caloris ortum esse ab erosis igne insito cordis ventriculis. Inualescit ille nutu & effulgescentiâ: tum spirituum vehiculo insidens rapitur, puncto simul temporis collucet partibus vel remotissimis. Eo copiosiùs emanante, res secundæ valetudinis splendidiores fiunt: patefactum & illustratum corpus faciliùs excrementa ablegat. Πῦρ ἀείζωον numquam intempestiuum quandiù modum habet, vt caput ad vtramque vitam sit natiui caloris securitas.

ERGO bonis illius initiis orta corporà, ac blando postea impetu vegeta, non modo adolescunt, sed etiam cursu vitæ quasi peracto adhuc calent. Quemadmodum vero triplicis substantiæ effluuium ingesto alimento instauratur, sic transpirationis beneficio œconomus calor reficitur: Si forte augescente illo id auxilij tamen segniùs affertur, tunc deuij ac præcipites erunt motus, sicut ordinati semper cum vigebit natura. Quin etiam dubiis & turbulentis morborum temporibus, si qua vitæ significatio appareat, ea à natiui caloris motu est. Vt ἀκινησία est deletrix vitæ, sic iugis motus salutaris, quò pertinet constantia & firmitas rationis. Omnino autem τὸ ἔμφυτον θερμὸν neque intro solum, neque extra mouetur, alteram vero ipsius motionem altera semper excipit, μέτρια δὲ σβεννύμενον, ἢ μέτρια ἀναπτόμενον, ἀκίνητον δ' οὐ μένει.

Ergo Calidum innatum ἀεικίνητον.

Proponebat Lutetiæ PETRVS CONSTANT, Aruernus. A. R. S. H. M.DC. XXXV. 254.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus le Vignon.
M. Petrus Legier Præses.
M. Ioannes Chartier.

M. Ioannes Pierre.
M. Thomas Gamarre.
M. Antonius Charpentier.

M. Franciscus Piiart.
M. Nicolaus Renier.
M. Ioannes de Bourges.